



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

40 Diff. 3574 (24)

31.

# SIDERUM INFLUENTIA,

b. e.

Efficacia in Mundum hunc Sublunarem,

*Quanam*

&

*Quanta sit,*

PUBLICA DISPUTATIONE,

SUB PRÆSIDIO

M. JOH. CHRISTOPHORI  
STURMII,

Mathem. & Phys. P. P.

*decernit,*

Adversis eruditorum argumentis pro suâ  
virili responsurus,

CHRISTOPHORUS WEGLEITER

DRIMBERGENSIS.

tembr. Anno M DC LXXIX.

ALTDORFFI,  
ici Meyeri, Acad. Typographi.

S

36700557170017

36700557170017

33

Bayer. Staatsbibliothek

I

Efficac

M. J.

C

SIDERUM  
INFLUENTIA,

b. c.

Efficacia in Mundum hunc Sublunarem,

Quanam

&

Quanta sit,

PUBLICA DISPUTATIONE,

SUB PRÆSIDIO

M. JOH. CHRISTOPHORI  
STURMII,

Mathem. & Phys. P. P.

*decernit,*

Adversis eruditorum argumentis pro sua  
virili responsurus,

CHRISTOPHORUS WEGLEITER

NORIMBERGENSIS.

d. 27. Septembr. Anno M DC LXXIX.

*ALTDORFFI,*

Literis Henrici Meyeri, Acad. Typographi.

31.

Bayer  
Staatsbib



De

## SIDERUM INFLUXU

¶

Efficacia in Mundum Sublunarem.

## CAPUT I.

*Influxuum cœlestibus corporibus hactenus ad scriptorum historiam breviter enarrans.*

I.

**I**nfluxus aut Influentiæ vocabulo non eas tantum cœlestium vires, quas lumine, calore & motu suo exelerunt in hæc inferiora, sed alias potissimum, occultiores multò & efficaciores, intelligunt; quibus non corpora solum sublunaria, ac speciatim humani corporis vita, salus, & interitus, sed ipsa quoq; mens hominis, omnia ejus statuta & consilia. horumq; sive faulti sive infausti pace belloq; eventus, ipsa deniq;, quæ vocantur, fortunæ bona, obnoxia sint, ad earum nutum quasi ac tantum non inevitable decretum in horas fermè mutabilia.

II. Atq; ut paulò specialius harum rerum capita præcipua (omnia namq; angustiores Disputationis cancelli non capiunt) attingamus, à Sole quidé & Luna ut plurimum cœlestium influentiarum veritatem ac evidentiam demonstraturi, exordiuntur, in confessio esse vociferantes, quod Sol, fons lucis & caloris, accessu & recessu suo inducat seriem ac vicissitudinem tempestatum anni, procreet plantas & animalia, excitet è terra fumos qui concrecant in aquam, abeant in ventum &c. quod ad incrementa ac decrementa Lunæ conchylia quoq; & oſtreæ, cancriorum carnes & ossium medullæ in animalibus, & generatim humores omnes in horum corporibus, imo in aëre quoq; ac toto mundo sublunari crescant ac decrescant; ligna Lunâ plenâ aut crescente decisâ cariem sentiant, decrescente dejectâ minus

Iedi solita; in serendis leguminibus ac frugum seminibus ætas Luna utiliter obseruetur ab agricolis; carnes Lunari lumini expositæ facilè putrelcant; dormientes in radiis Lunaribus gravidine catarrhisq; vexentur; Epilepticæ deniq; Hydropici, Rheumatici, Phtisici, foeminae menstruales, & generatim omnes, qui sunt imbecillioris ac teneroris vasitudinis, Luna menstruas variationes notabiliter sentiant; ac ultimò Fluxus refluxusq; Oceani, cum annuis suis menstruisq; ac diurnis mutationibus, à Luna manifestissime dependeant.

III. Porro vero, ut astris etiam cœteris suam in hæc inferiora efficaciam, nihil quidem Solari Lunariq; minorem, asserant, ad experientiam partim provocant, cum Syrium æstus, Hyades cum Sole orientes, pluviae comitentur, &c. partim verò rationibus evincere laborant, agere sublimia ista cœli corpora in elementarem hanc regionem virtute quadam singulis propriâ & ab iporum lumine ac motu prorsus diversâ: multos namq; contingere effectus à cœlo & sideribus manifestissime pendentes, quapropter sidera ipsa, à quibus dependent sunt infra Horizontem; ac nominatim Lunam novam ac lumine caslam in fluxuum refluxuumq; incrementis tantundem efficaciae, quam plenam, habere: Effectus, qui Soli, Lunæ, Marti, alijsq; Planetis tribuuntur, esse valde diversos & lumen tamen iporum non adeo varium, cum sit in plurisq; ipsissimum Solis lumen à Planetis ad hæc inferiora reflexum: Lumen, ut lumen, nihil aliud quam illuminare, & ad summum aliquando calefacere; ideoq; Sidera, ut effectus tam diversos producant, præter lumen alias omnino debere habere virtutes &c.

IV. Speciatim autem Saturnus creditur valde frigefacere, Mars exsiccando urere, Jupiter cum Venere & Luna calefacere quidem aliquantulum, sed magis humectare, Mercurius deniq; indifferenter se habere, ac de cœtero Saturnus ac Mars ipsis Malefici Planetæ sunt, ille major, hic minor Infortuna dicti; Jupiter & Venus beneficj, Major ille, hæc minor Fortuna; dum Sol interim & ac Mercurius nunc boni nunc mali habentur, pro vario malorum bonorumve aliorum consortio: & animalibus quidem, maximè humano corpori, *Saturnus* ægritudines inferre dicitur melancholicas, humorum defluxus, epidemiam, omnium penuriam ad viatum' necessariorum, & alia plurima ad-

Caf. Schor.  
sue Cursus  
Marbem.  
Lth. X. c. V.

*Argolus*  
Eph. p. 47.

ma adversa, quippe naturā destructivus; *Mars* item sterilitatem exurendo inducere, morbos generare calidos & siccros, febres tertianas, ardentes, acutas, sanguinis eruptiones, inflammations, morbos pestiferos, mortes repentinae &c. *Jupiter* econtrā cum agnata *Venere* omnium afferre fertilitatem & ubertatem, animantium salubritatem &c. nisi in loco dejecto, afficti à maleficiis, aut aliunde impediti fuerint; *Mercurius*, prælertim maleficiis junctus, grandines, fulgura, tempestates, terræ-motus, tabes, tusses, convulsiones, epilepsias, phrenites &c. ciere, cum bonis verò bona decernere; *Sol* deniq; temperatè calidus & siccus, serenitatem parere & ubertatem, sed non nisi bene constitutus, & in felici congressu cum Planetis ac stellis coeteris. Ad animum hominis demum ac mores quod attinet, ḥ equidem prædominans in hominum genitris traditur eos facere & significare pigros, stultos, invidos, avaros, melancholicos, mendaces &c. ♀ opibus intentos, humiles, verecundos, sobrios, religiosos; ♂ furibundos, prodigos, obscenos &c. ♂ ambitiosos, fortes, continentes; ♀ deliciosos, incontinentes pecuniarum in voluptatibus, suaves, venustos &c. ♀ versutos, parclos, agiles &c. ♂ vagabundos, tenaces, debiles &c. quamvis in hisce pariter ac aliis magnus reperiatur Astrologorum dissensus, etiam à seipsis; dum e.g. Cardanus in Aphorismo uno Jovem, ait, significare opibus intentum, in alio verò liberales homines eundem facere testatur. Vid. Orig. Introd. Part. III. Cap. VIII. p. 587. & seqq.

V. Enimverò has Planetarum vires multū variari assentunt ac intendi modò, modò debilitari, prout isti in hoc aut illo signo, in hac aut illa domo cœli sub hoc aut isto cum Planetis aliis adspectu, in hoc aut illo positu cum stellis quoq; fixis fuerint, quas omnes & singulas suis quoq; non contemnendis pollere viribus attestantur, ac alias Saturninæ, alias Martialis, Jovialis, Venereæ, Mercurialis &c. naturæ faciunt, prout vel ex uno Argoli Catalogo videre est, quem habet prolixissimū Astronom. Lib. III. Cap. XXIX. à pag. 538. ad 563. usq;. Et Signa quidem, qvæ vocant, five Dodecatemoria h.e. duodecim illas Zodiaci partes, quibus Arietis, Tauri, &c. astra, antiqui quondam incole, nomina sua concessere, quod attinet, illorum quidem aliqua i. statuunt ignea & cholérica, ut V, Ζ, ☽, aliquia terrea

& Melancholica, ut ♀, ♪, ♂, aliqua aërea & sanguinea, ut Η, ☽, ☿, alia deniq; aquea & Phlegmatica, ut ☽, Μ, Χ: 2. Distribuunt eadem Planetis in Domicilia, Detimenta, Exaltationes & casus, ita quidem, ut cùm Planetæ sint numero 7, signaverò duodecim, quinq; minoribus, ♂, 2, ♂, ♀ & ♀, singulis bina cedant in domos proprias ( ♂ v.g. ♂ & ☿, 2 Χ & ☽, ♂ Η & Μ, ♀ ♀ & ☽, ♀ Η & ♪, ) Luminaribus autem non nisi singula ( nec enim supererant plura ) ☽ scilicet ☽ & ☽ Η, quorum opposita signa cuiusvis *Detimentum* appellant, quòd in his influxūs ipsorum debilitentur admodum, aut in contrarios prorsus convertantur, qvemadmodū in illis suis domibus fortius multò & cum authoritate quasi agant, &c. 3. Humani quoq; corporis partibus præficiuntur ac dominantur sua singulis signa, Η capiti, ♀ collo, Η brachiis, ☽ pectori, ☽ cordi, ♪ ventri & intestinis, ☽ natibus, Μ pudendis, ☽ coxis, ♂ genibus, ☿ tibiis, Χ pedibus; indeq; Phlebotomia prohibetur eo tempore quo ☽ est in Η aut ☽, &c. 4. Regna quoque & urbes üsdem signis subjiciuntur nullo quidem ordine, qualis in antecedentibus distributionibus observatus est, sed prout unius cùjusq; prima fundamenta sub hoc aut illo signo ascidente jacta perhibentur; & quæ sunt hujus generis innumera alia, apud Argolum, Origanum, aliosq; videnda.

VII. Duodecim porrò domos cœlestes, in quibus constituendis multum dissentient artifices, communiter quidem ab Horizonte Ortivo versus inferiora se invicem consequentes, & in ipsis Septentrionis ac Austri cardinibus coëuentes, non tam mutare Stellarum influxūs quam ad certum boni malive, sive significandi tantum sive efficiendi, genus determinare volunt; adeò ut in Prima domo sive Horoscopo vitam v.g. recens-nati & constitutionem corporis, in Secunda, ejusdem Divitias & Lucra, in tertia Fratres, agnatos, & itinera brevia, in Quarta seu imo cocli Parentes & hæreditatem, in Decima seu cœli summo, Honores & Magisteria respiciant &c. quæ omnia enumerare prolixum foret.

VIII. Adspectuum verò rationem influxus ac vires stellarum multum vel adjuvare vel impedire varieq; temperare persuasissimi sunt. Cùm enim in Lunæ Conjunctionibus cum Sole, ejusdemq; Oppositionibus & Quadraturis frequentes aëris

ac tempestatum mutationes, imprimis autem æstuum marinorum notabiles varietates obserarentur, eas à positu illo Luna ad solem vario, quem adspectu per metaphoram dicebant, unicè pendere persuasi, in aliarum quoq; stellarum similibus configurationibus multum efficaciae ponendum crediderunt, ac variæ quidé pro variâ respicientium se mutuò Planetarum naturâ, vel etiam pro variâ invicem adsipientium distantia. Etenim Conjunctionem felicem æstimant, si intercedat inter 2<sup>1</sup> & ♀ vel inter alterutrum & ♀, ☽, ☽; infelicem contra inter ♂ & ♂ vel inter alterutrum & ♀, ☽, ☽; mediocrem inter hos ultimos: & secundum nonnullos inter ♂ & 2<sup>1</sup> vel ♀: Sextiliū; ubi 60. gradibus vel duorum signorum intervallo distant duo Planetæ, & Trigonus, cum quatuor signa aut 120 gradūs ab invicem absunt, universaliter ferē boni qvibusdam æstimantur; Quadratus contrâ, cùm trium signorum aut 90. graduum intersticio se mutuò respiciunt, & Oppositio, cùm integro semicirculo dimoti è diametro se contuentur, universaliter malū: dum alii non tam malos, quam adsipientium robur augentes, hos adspectus dici volunt, & alias quoq; in adsignandis horum variis quoad mutationes aëris non parum diffentiantur.

VIII. Præcoeteris autem insignem efficaciam in maximis iisq; universalibus mutationibus tempestatum, religionis, imperiorum ac rerum sublunari omnium inducendis tribuunt Conjunctionibus & Oppositionibus 2<sup>1</sup> & ♂, quas magnas appellant, vigesimo quovis anno sakte contingentes, & post zoomum quemq; ejusdem triplicitatis vel tricorni signa pervagatas in novo trigono: Majoras dicunt; maximas autem cum Albusare cum post goco circiter annos in ipso V principio contingunt: quamvis Meshaie Arabi maxima Coniunctio dicta quondam sit, cum ♂, 2<sup>1</sup> & ♂ eodem die aut quam proxime coniungerentur, Major cum ♂ & 2<sup>1</sup>, Media cum ♂ & ♂, Magna cum 2<sup>1</sup> & ♂ &c.

IX. Speciatim etiam Stellarum fixarum cum Sole congreſibus, ortui & occasui quem vocant, Cosmicō, Heliaco &c. vires adscribunt haut contemnendas, in aëris præsertim tempestatibus ciendis, ut e. g. Zona Orionis cum Sole exoriens aërem turbidum facere, Arcturus vespere seu cosmicè oriens tempestates commovere, ortus Cornu V pluvias & nives afferre &c.

re &c. observatum aut persualum potius Ptolomeo fuerit, ac etiamnum Hyades ac Plejades pluvioſa, Cor ac cœteræ partes anteriores & ſtruſa ſidera &c. habeantur. Imprimis autem Syrii aut Procyonis (utri namq; effectus ille majori jure debeatur, multi ambigunt) exortus cum Sole Cosmicus (olim Heliacus attendebatur, qui, cum hodiè in Augustum menſem incidentis ſeriū accidat, non amplius ad rem præſentem facit) notabilem in terris dierum Canicularium inde diutorum æſtum excitare conſtanter credunt.

X. Solis autem & Lunæ Conjunctiones & Oppositiones menstruas uti generatim omnes multæ docent eſſe virtutis & efficaciz; ſic eclipticas imprimis actuosiflmas credunt, & annuatim redevatibus Solis Lunæq; obſcurationibus effectus alſignant notabiles & eos univerſaliter noxios, sterilitatem putta, inundationes, peſtes, ventos, ſeditiones, bella, incendia &c. ſed hæc omnia à Luminaribus iſpis non niſi generaliter effici vel nunciari, per cœterorum Planetarum dominium autem ad certam ſpeciem reſtrinki: quin & ſtellarum fixarum loco eclipses vicinarum virtutem ad effectum ſpecialiorem determinationem concurre, & poſitum luminarium ad mundi cardines, an in orientali vel occidentalı angulo, in medio vel imo cœli ſpectetur eclipsiſis, & ſignum Zodiaci in quo contingat, & Aſteriſmi deniq; proximi formam extērnam attendi vult Ptolomeus; ſiquidem in aqueis inundationes & peſtes, in igneis bella, incendia & ſestus &c. portendant, ac in Aſteriſmis humana imagine inſignitis humano generi, in iis quibus quadrupedum forma tributa eſt, quadrupedibus &c. calamitates ac inſortunia prænuncient, easq; maximas, latiusq; diuſſas, ac diuſturniores, ſi fuerit eclipsiſis magna, ac moræ longioris, minores ac in paucos, ſi parva; & que ſunt hujus farinæ ſexcenta alia.

XI. Deniq; à Stellis novis, crinitis & caudatis valde metunt elementari huic mundo, Viris magnatibus imprimis ac Imperiis volubilis hujus, ex mente Copernicanorum, orbis; & abiit certè jam olim in proverbium hæc opinio apud Græcos dicentes: Ὁὐδὲς κομήτης ὄσις σε κακὸν Φίγη; quod eleganti exprefſit verſiculo Claudianus, nunquam, inquiens, terris ſpectatum impune Cometen. Et ſpeciatim quidem Ptolomeus ad Cometarum à Sole diuſtantiam, ad plagam mundi verſus quam feruntur, ad Zodia-

Zodiaci signum & Asterisimi formam, in quo primum effulgent, & similia respicit, in determinandis eventibus; ex ejus discipulis autem nonnemo Cometas nobis Saturninos, Joviales, Martiales, Solares &c. è diversis eorum coloribus effingit, ac speciebus singulis longum malorum Catalogum assignat, pro conditione Planetarum, quorum naturam scilicet imitantur. Sed de his satis pro instituto nostro: nunc in compendio quoque; & pro Disputationis modulo, quæ sit nostra de diversis istis influxuum celestium generibus sententia, dicemus.

## CAP. II.

Quo

*Nostra de singulis modo enarratis influxuum generibus sententia per distinctos articulos indicatur.*

I. Cœlestium in hac terrena influxus & efficaciam omnem serio negare nemo quidem hominum vel poterit vel audebit unquam; ac lapidem esse oporteret eum, qui non sentiat vel in proprio suo corpore vivificum Solis calorem ac benignissimos ejus radios, quibus animantium vita, plantarum vigor & incrementa foventur, quotannis de novo restaurantur, immo sine quibus hac nulla forent, ac tellus omnis cum circumfusa reliqua sphæra elementari ut obrigeret penitus, necessum esset. Verum enim verò de benignissimis hisce Solis influxibus hac nobis certissima sunt & exploratissima: 1. Non aliunde illos quam à purissimo ejus lumine, &c., qui hoc comitatur in quovis ignifluo corpore, calore, dependere: 2. Eosdem eodem tempore in diversis terræ regionibus variare quidem, ob causam tamen nullatenus in cœlo aut in Sole, sed in Terris ipsis quærendam, quarum scilicet positus ad Solem redditior aut obliquior, fiscior item aut aquosior conditio, planities aut montosa asperitas &c. exceptum Solis generalem influxum ad multifariam istam diversitatem non aliter deflectit, ac terra lutoſa eundem ad sui indurationem, ceræ fluxa natura ad emollitionem, determinat: 3. Similiter una eademque regio, quod adeò variam diversis anni partibus sentiat caloris solaris efficaciam, id à sole

B

Solis

Solis accessu ac recessu à vertice regionis , diurna item ipsius mora supra Horizontem longiore aut breviore, nullâ vero ratione ab alia aliave qualitate partium cœli, cuius una & simplex ubique conditio est, venire derivandum ; atq; adeò 4 Quicquid effectuum in his terris ab influxu solari producitur, id ejus lumen, calori, motui, &, sine qua horum omnium vel nulla vel debilis efficacia foret, viciniæ, pro ipsius mole notabili, deberi.

II. Lunæ quoq; efficaciam in teneriora ac morbida animalium corpora ipsius vel centies spectavimus antehac in Virgine quadam epileptica ; ac Marium fluxus ac refluxus, utut ad solem potius referendi videantur nonnullis, quorum hypothesin sibi propriam quasi fecit Isaac. Vossius Lib. de Marium & Ventorum motu, eam habent cum motu Lunæ diurno, menstruo & annuo connexionem, ut, Gassendi justo judicio, cæcum esse oporteat , qui ipsius dependentiam ab ipsa Luna non observet &c. adeò ut Lunaris etiam influentia sit extra omne dubium collocanda. Hæc tamen observari probè, nostrâ quidem opinione, merentur : 1. Quod æstus marinos attinet , illos ex hypothesi doctissimorum Physicorum complurium non tam activâ quadam ac cœlitus effusa virtute producere Lunam , quam corporis sui præsentia ac motu suo efficere, ut vel compressior aër supra medium Oceanum cui Luna imminet, hujus aquas versus littora exprimat, quod vult Cartesius ; vel è contrario plus gravitet in subiectas aquas, ex utraq; parte, quam in medio, (quod altior ibi sit Sphæra gravitantis in terras aëris, ubi nullum corpus cœlestis vicinus imminet, quam hic, ubi Luna propior impendet ) & sic utring; aquas ad medium compellat, ut accumulatae ad littora proprio pondere diffundantur, quod vult Honoratus Fabri, cui non tam causa illorum æstuum Luna, quam occasio dicenda videtur : 2. Fortassis & eas mutationes quas ægrotantium corpora sentiunt à simili potius aëris mutatione quadam quam vel à lumine Lunæ, quod in Interluniis nullum habet, vel ab alio influxu, quem sine luminis vehiculo descendere verosimile non est, dependere; et si nec alia laudati modò Honorati hypothesis displiceat, quæ (quod plerisq; hodie Philosophis probabile videtur) Lunarem globum Terreno nostro simillimum supponens , humorem , quem auctiorem sentiunt crescente Luna quedam sublunaria , ex ipsa Luna

Luna cum radiis inde reflexis per evaporationem quandam ad nostram gravitatis Sphæram usq; diffundi, correptamq; ab hac porrò ad terram detrudi, statuit: 3. Quicquid hujus rei tandem fuerit, hanc luminis aut humoris lunaris efficaciam, solari plurimi modis debiliorem esse, prout sc. & Lumen ejus multò debilius est, siquidem eam non nisi infirma ac morbida corpora (robustiora namq; plenā novāq; lunā perinde se habent) aut ē cœteris succulentiora, persentiscunt: 4. Plurima quoque ex hoc ipso genere traditione quadam magis quām indubīis experimentis constare; cūm certè inter alios recentiores Physiscos Jacobus Rohault testetur, per quinq; lūstra se observasse, ossium medullas in uno eodemq; animalium genere, ostreas item, pisces &c. alios succulentiores & pleniores, alios macilentes satis ac in decremento carnium, in maximo etiam luminis Lunaris incremento; prout scil. animalia ista ex opimiore aut inope victus stabulo, ex aquis tranquillioribus aut agitatoriis, ē longinquo aut ē vicinia, &c. advecta fuissent.

III. Jam cūm Planetæ cœteri Lunā majores sint pleriq;, & ab eodem Sole lumen suum, à quo ista, mutuentur, fixæ verò ejusdem quamproximè substantiæ cum Sole, h. e. ignæ naturæ verosimiliter existimentur, nec ipso multo minores, aliquæ fortassis etiam majores; nulli dubitamus, quin isti cūm Luna, hæ verò cum Sole parem habeant, aut majorem etiam, agendi & influendi vim ac potestatem, actu ipso quoque in has terras nostras exserendam, siquidem æquali cum Sole aut Luna, vel proportionato tantum, intervallo essent ab eis remoti; nunc autem ex immenso, quo distant, intersticio cum notabili quidem infra-lunarium corporum mutatione nunquam sensibilem: quemadmodum nemo sanæ rationis homo negabit, *Hecclæ, Vesuvii, Aetne*, aliorumq; per utramq; Indiam flammantium haut raro benè-multorum Vulcanorum incendia vim calefaciendi & adurendi habere longè - maximam, quamvis ea in his nostris regionibus, ex immensa distantia, sit prorsus imperceptibilis. Et hinc certè non immerito succensere videtur *Ptolomeo, Firmico, Manilio, cœterisq; Gassendus*, quòd exorsu serio & ut viros graves ac Philosophos rationemque professos decet, (ab influxibus scil. Solaribus ac Lunaribus experientiæ quotidiana manifestis, & ab ipsorum vicinia copiosoq; luminependen-

pendentibus) prolabantur momento in pueriles nugas & anilia deliramenta, & paralogismo manifeso imponentes, Zodiaci signis, Saturno, Mercurio, coeterisq; sideribus certos & cuique peculiares effectus assignent, nullo experimento indubio unquam comprobatos. Etenim, cum Solem & Lunam has terras variè afficere non nisi lumine suo & corporis vicinia per motum variante, certo certius nobis constet ( reliquæ namq; fictitiæ & occultæ in perpetuum futuræ qualitates nullo indicio vel probabili patent) & verò lumen superiorum Planetarum fixarumq; Stellarum, et si è singulis emanans copiosissimum, in via tamen ita debilitetur ac minuatur, ut junctim omnes illustrare sensibiliiter nocturnas aëris tenebras non valeant, corpora porro ipsorum à terris toto cœlo h. e. immensum disjuncta sint; quænam amabo alia ipsorum efficacia in hoc sublunari mundo esse poterit, præter exiguum illam luculæ debilis impressionem, quâ organi visoriæ tenerrima capillamenta, & tunc saltem cum aliis lucis motu non sunt occupata, leviter afficiunt?

IV. Quod si verò etiam concedamus liberali manu Vires cuvis stellæ in elementari hac Sphæra satis efficaces, id tamen pavidere nondum possumus, quî possibile sit aut fuerit unquam, experimento vel uno ad speciem verosimili resuscitere, quod effectus aliquis in his terris obvius huic aut isti potius inter innumeras coeteras, quam alii cuvis adscribendus esset, ac speciatim quod e.g. frigidior aëris aut morosioris aliquujus hominis intemperies à ḥ, cuius debile lumen etiam inter secundæ magnitudinis fixas ferè vilescit; æstus insolitus aut iracundi cuiusdam cholera à ♂ rutilante sidere &c. proveniat; Verbo, quod ḥ frigidus aut frigefactivus, ♂ calidus & exsiccans imo, quod vel pueri & agricultoræ rideant, sole ipso calidior & exsiccantior, ♀ & ♀ humidi & præ Sole Lunaq; ( quorum beneficia ingentia vel trunci & caudices loquuntur ) benefici sint &c. Plantarum certè animaliumq; quæ verno tempore observatur, reviviscentiam, æstivos calores, fructuum maturitatem, &c. Soli acceptos esse ferendos facile colligimus, et si eundem eodem tempore astra innumera circumstant; quod accedentem ad verticem nostrum effectus isti annuatim consequantur, ac recedente ipso paulatim iterum cessent; similiterq; de Lunaæ influxibus, ex effectu cum illius motibus & variationibus men-

menstruis in orbem reditu frequentissimo certiores reddimur: ut taceam è prævalente notabiliter utriusq; lumine ac radiatione indubium ejus rei argumentum capi, & in æstivo Sole constitutus qui vel Martem vel aliam stellam arcessere caloris intensioris causam vellet, & q; ridiculè facturum, ac si, quod è vicino incendio malum imminet ædibus Ucagontis proximi, id ipse Vesuvio aut Balalvano Sumatræ Insulæ Vulcano, aut vagabundis per ærem ignibus fatuis attribueret. At enim, cum stellæ coeteræ positum ordinemq; eundem pleræq; servent perpetuò, paucissimæ locum, nec nisi tardè mutent, ac præterea tam insigni & efficaciter in terris notabili luminis differentia unæ ab aliis non superentur ; qui potuit obsecro, fieri, ut Saturni, multis plerumq; Martialibus aut aliis naturæ fixis undiq; cincti, frigus, aut Martis inter Saturninas aliasve medii exsuperantem calorem &c. sentirent nostri Astrologi? maximè cum ipsam naturam quasi exuere, mutare, ac viribus suis variè debilitari dicantur, prout in hac aut ista cœli parte, sub hoc aut illo adspicatu & constellatione constituti fuerint? Quo igitur tandem cœli loco potuit Planetæ cujusq; Indoles ac Natura intemerata dignosci? & quodnam fuit aut esse potuit indicium, constantium cuiq; hoc mage quam alio loco aut tempore virium? Profetò quo frequentius ac diutiùs hæc apud animum nostrum consideramus, eò magis etiam admittimus id quod acutissimus *Gassendus* cum Viris doctissimis aliis pridem credidit, Astrologorum superstitionem divinandi pruriginem è pallida hæc facie frigidissimam ejus naturam, ex flammæ Martis vultu hujus ignem substantiam &c. inconsideratè satis arguisse, & inconfiderratiùs multò intulisse, terram etiam, et si infinitis parafangis inde remotam, istud tamen hæc frigus aut ætis illum æstum occultum, cum notabili suorum incolarum alteratione sentire debere. Tanto verò nobis perluademus certius, quanto audaciùs Astrologos Divinatores q; rii quoq; confirmatas observationibus influentias crepare audimus, quid sc. in hac aut ista domo, in hoc aut illo signo, sub hoc aut isto adspicatu valeat; cum vel nupero admodum exemplo, quo Mercurium sub Sole è Tabb. diversarum diverso calculo spectandum per integrum triduū frustrâ expectârunt Europæi Mathematici, palpari quasi manibus potuerit id quod cordati Astronomi non dissimulant,

mulant; Astrologi verò vel ignorant, vel malitiosè supprimunt; Mercurii versipellis motum adeo incertum adhuc esse, ac sub certas leges se redigi nondum passum, ut certus signi gradus, quem occupet, ne in dies quidem, nedum in horas & minuta, præscriri queat; tantum abest, ut, de situ ejus in hac aut illa domo cœlesti, de adspectuum tempore &c. veri quidquam unquam innotescere, multò verò minus ut ex observatione rerum tam incertarum, & conjunctis incertiis effectibus in mundo sublunari, regulæ cudi ac divinandi leges formari potuerint.

V. Quandoquidem igitur ea, quæ de stellarum singularum absolute spectatis viribus num. IV. cap. 1. diximus, quibusque multò plura nobis ex digitis suis numerant Astrologi, non dubia tantum, sed ex horum arbitrio ac libidine conficta esse, satis constat; quis non videt observationes cœteras, circa viriumistarum factiarum incrementa & decrementa, fortitudines ac debilitates &c. in aliis aliusq; signis, in alia aliaq; domo, sub hoc aut illo adspectu &c. nullas unquam esse potuisse, cum in iis omnibus ea planetæ vel stellæ cuiusvis indoles præsupponatur, quam observata nunquam, observatu impossibilem, ac ridiculo paralogismo illatam in antecedentibus ostendimus? Veruntamen, si vel maximè poneremus stellarum singularum vires in his sublunaribus cum efficacia sensibiles, & eas distinetè, quæ quibus insint, compertas ac pervestigatas; non forent tamen illa reliqua minus incerta, falsa & superstitiona, quam nunc sunt. Etenim quod primum attinet 12. Zodiaci, quæ vocant, Signa, certissimum est 1. Veteres ex mero arbitrio suo numerum duodenarium elegisse, cum potuissent in plures aut pauciores partes viam ☽ dividere: 2. Virtutem istam ac efficaciam singulis attribuisse occasione Asterismorum, Arietis Tauri &c. à quibus etiam nomina sua acceperunt; & nunc tamen, postquam asterismi illi è loco vetere jampridem migrarunt, eandem tamen vim evacuatis cœli partibus aut novæ jam coloniæ habitatis, etiamnum ridiculè adscribi: 3. Distributio nem horum 12. signorum inter 7. Planetas prorsus etiam arbitrariam esse, ut videlicet Soli & ☽ tanquam minorum gentium diis domicilia singula, cœteris autem quinq; bina cederent, ac in divisione nec deficeret quidquam nec excederet; cum vet serva-

servatus sollicitè & Planetarum & signorum ordo videre vel cœcum faciat, horum nihil unquam ullâ obseruatione aut experimento ullo constitisse: ut taceam ex eorum ipsorum numero, qui nondum delerere prorsus valent divinatorias istas vanitates & cum ratione magis  $\alpha\sigma\pi\lambda\delta\gamma\zeta\sigma\tau\mu$ , plerosq; totam hanc rem de signorum efficacia, Planetarum domiciliis ac cœteris quæ num. IV. cap. 1. enumeravimus, inter aniles fabulas recensere. Vid. B. noster Antecessor M. Abdias Trew in Discursu vñ Grund und Verbesserung der Astrologia cap. 1. De duodecim domibus cœlestibus autem quibus in judiciis suis Genethliacis utuntur, ut paucissima moneamus, qui potuit unquam Astrologis observationum certarum contentu constare, quid in quaq; domo Planeta quisq; valeat vel decernat, aut significet, cum in ipsa domorum constitutione ac Thematis eretione magnus sit veterum recentiorumq; dissensus, adeò ut quinq; diversissimos erigendi Thematis modos nobis enumarent Ranzovius & Origanus, è quibus récentissimum hodieque universaliter ferè receptum (quem Rationalē appellant intuitu cœterorum, tanquam sine ratione excogitatorum) non sine prægnantibus rationibus irrationalē latis iudicat paulò ante laudatus Dn. Trew, Nuclei Astrolog. Correctæ p. 4. & 5. ut opera preium non sit his talibus, propriā prudentiorum Astrologorum confessione fictitiis, prolixè confutandis immorari.

VI. Adspectuum porrò virtus & efficacia, et si majore cum specie veritatis asserta, nec ratione tantum, quæ junctis plurim viribus, aut oppositis invicem & confusis, vel intenſi actionem vel impediri suadet, sed manifesta menstruorum Lunæ cum Sole congressum & configurationum experientia nit, videatur; in cœteris tamen stellis minoribus nullo vel ratiocinio vel experimento haec tenus stabilitur. Etenim à magnis ac Terræ vicinis Luminaribus Sole & Luna ad stellas alias remotissimas ingenti saltu extrahere argumenta quam sit  $\alpha\sigma\pi\lambda\delta\gamma\zeta\sigma\tau\mu$  jam ante ostensum est: Et hoc quidem loco speciationem hæc duo veniunt observanda: 1. Lunares adspexitus esse conjunctos cum perpetuo Luminis copiosi & valde notabilis incremento & decremento: 2. Iisdem constantissime implicitam esse corporis Lunaris ad Terram notabiliter nanc accendentis propius nunc recedentis ab ea longius, in orbem redeentes vicissitudines;

thes; ut rectius & ex vero rem æstimantibus, non tam ex hac aut ista Lunæ à Sole, per circuli sextantem e.g. vel quadrantem vel dimidium &c. distantia, quam ex allegatis & cum hoc aut isto adspe&tū per accidens conjunctis causis pendere judicentur effectus illi quos menstrua Lunæ periodus ordinariè solet cum orbe suo circumvolvere. Verum enimverò et si similia Lunaribus in Venere quoque & Mercurio luminis augmenta & decrementa obseruentur hodie, in cœteris tamen Planetis aut nulla, aut armato quoque oculo (ut in Marte) vix perceptibilia, notantur, in illis ipsis autem effectuum sensibilis varietas expectari non potest à lumine vel auctiore vel imminuto, quando plena quoq; ♀ris aut ♀ facie emissum lumen, tum ob nimiam ipsorum distantiam, tum ob nimiam Solis viciniam, naturam sublunarem mutare notabiliter non potest; quod idem de ipsis ac cœterorum accessu & recessu judicandum est, utpote ex tam immenso intervallo inefficaci, cum etiam proximus illius vicissitudinis terminus sit ab elementari hac sp̄hera nimium remotus. Et quis obsecro à præjudiciis libero animo unquam persuadebit, ♀rem e.g. aut ♀ adeo vicinos Soli sive sub ipso fuerint ac terris proximi nulloq; visibili radio hæc sublunaria feriant, sive supra aut post eum constituti, præ fulgore Solis illustrissimo æstuq; ejus ferventissimo posse parvula suâ & ab ipso Sole emendicata luculâ orbem elementorum ita afficere aut Solis efficaciam ita vel augere vel immutare, ut ab istis esse, quicquid vel boni vel mali inde sentitur, distinctè perspiciatur? Aut quis credit in conjunctionibus partibus Planetarum similium vires majores esse, cum sc. superioris influxus ab inferiore interposito impeditur, quam cum aliquot gradibus ab eadem conjunctionis linea digressi junctas in terram vires absq; impedimento valent emittere &c.? Quod si ad experientiam pro more provocent, quænam illa sit & quam probè fundata, postmodum generatim visuri, hoc saltem hic in antecessum monemus; cum ipsis Astrologorum confessione, vim aspectus unius facile retundant aut impedianc non alii tantum circa idem tempus contingentes, sed & locus aut signum Zodiaci adversæ vel dissimilis qualitatis, fixarum item vel verticalium, vel cosmice, aut heliacè orientiū, occidentiū, vel alterutri ex adspicientibus invicem Planetis vicinarum, Situs deniq; ipsa.

ipſarum regionum ad occasum, ortum, meridiem & ſeptentrionem, idq; genus alia ferè innumera, (unde, quām fit difficultas viuum cœli cœleſtiumq; influxuum abſtrusa notitia, non potuit non facteri Astrologorum Patronus Argolus cum Arabibus dicentibus, singulis horæ momentis descendere viginti quatuor millia roboath cœli & influentias, que diversas qualitates vires ac colores fortuntur; preterquam quod fit inter arcana DEI Optimi maximi connumerata;) quis non videt, unum eundemq; eorundem Planetarum adſpectum, in unis iisdemq; cœli locis Zodiaciq; signis, coeterisq; circumstantiis iisdem permanentibus, vel nunquam, vel non niſi complurium Seculorum lapsu redire, atq; adeo imposſibile eſſe, ut observationum plurium experientiâ de hujus aut illius adſpectū virtute formari regula potuerit.

VII. De Magnis autē maximisq; h & 24 coniunctionibus quid aliud ſentias, quām, uti res ipſa habet, insignem iſtam efficaciam ac pretium ipſis, uti gemmis, non experimentū aliquod evidens aut verofimile ſaltem valoris genuini, ſed raritatem rei contingentis poſuiffe apud homines credulos & ſuperstitiosos, cūm in more poſitum nobis fit plerisq; omnibus, ea quæ ante pedes ſunt & quotidiana, maximæ ſæpe virtutis valorisq;; contemne-re, & insolita extera, longinqua, noſtris ſæpe ne comparanda quidem, ætimare maximi, quod rariū ac difficultius obtineantur. Quid enim? Cūm Jovis influxus benignus quidem fit & auſpicatus, Saturni contrā terris inimicus & malignus, & illi tamen ſolitarii mundum hunc elementarem attingentes quotidie, inſignes adeo effectus non edant; cur eo demum tempore quo alter alterius vires, oppitarum admixtione, neceſſario debilitat ac impedit, ita valide ſublunaria hæc afficiunt, ut efficaciam tam insolitam poſt annos complures adhuc perſentificant? Et cur Jovis beneficium lumen, Saturninum & copiā & viciniā ſuperans, hoc à tergo relieto imò à Terris maximam partem a-verſo, non prædominatur ſemper, ut omnis coniunctio magna, media, maxima, Terris evadat ſalutaris & frugifera? Qualitatum, ajunt, contrarietas hīc multum operatur, Saturno frigido & ſiccō, Jove calido & humido exiftente: Utriusq; Plane, tæ tarditas operationis vestigia tantò altius imprimit, & inde effectum magnitudo: Eadem illa tardigradorum horum mora facit, ut reliqui tandem etiam Planetæ cum iſtis in eodem

signo concurrent & mixtis adeò variè adverfis inter se virtutib-  
bus, insolito quoque modo sublunaria afficiant. Quidni verò  
potius, responderim ego rursum, hac virium contrarietate sin-  
gulæ à singulis ita retunduntur, ut universæ tandem, ad temper-  
amentum quippe, uti Peripateticorum elementares qualita-  
tes, redactæ partim valeant? Aut ( si regerant fortè, alias quoq;  
frigoris & caloris mixturam tempestates in aère ciere, & con-  
trariarum qualitatum liquores inter se confusos magnos motus  
& fermentationes causari &c.) cur eo ipso tempore, quo fit  
hæc virtutum in aère nostro confusio, non sequitur statim mu-  
tatio notabilis, sed aliquot post mensibus demum aut annis,  
cum jām pridem soluta est à sole diurno, aut in ventos abiit o-  
mnis illa mixtura, ut ne vestigium ejus aut atomus una super-  
fit? Cur etiam alio tempore, quo conjuncti non sunt supremi  
isti Planetæ ac radios suos in aère commodiùs confundunt, al-  
terius quippe corpore non obstante influxui alterius, majora  
non præstant aut pària saltem? Et si à magnis conjunctionibus  
ideo magni & insoliti sunt expectandi effectus; quod diutius  
conjuncti tardiores hi Planetæ pressius infigant exmora & pro-  
fundius influxus concitatoris aculeos; non debet saltem à  
maximis majus infortunium metui, cum in his nihilo majores,  
quam in ipsis, moras nequant; nisi fortè Arietis signum peculia-  
ri sua virtute, quam nullam esse & ficitiam ex ipso prudentiorum  
Astrologorum ore probavimus, pondus ac momentum  
addat.

VIII. Id verò satis mirari nunquam possumus, si stellis sin-  
gulis efficax concedatur ac distinctè internoscenda influentia,  
cur hæc non credatur tunc magis sentiri, cum terris immi-  
nent inter vicinas alias, aut debiliores, aut non multò fortiores,  
quam ubi Lunæ conjuguntur aut Soli, qui & validiore mul-  
tò ac terris viciniore influxu prævalentes earum vim retun-  
dunt aut penitus absorbent. Quis enim sanæ mentis credit,  
Hyades e. g. & Plejades ea præsertim anni parte humefaci-  
vam suam virtutem exferere maximè, qua Solem calidum &  
exsiccantem sibi habent ita conjunctum ac terram inter ipsas-  
que positum, ut impossibile sit vel radium ex ipsis unicum at-  
tingere terras, aut, si quem admirerint solares flagrantissimi,  
ejus vim magis in mundo hoc sublunari sentiri, quam vini gut-  
tulam

tulam unam in immenso Oceano? Aut Caniculam, dum extra Solis consortium inter minutiores multò stellas circa terram quotidie fertur, ne minimum tamen æstus sui & adustivæ virtutis facere indicium, tūm demum autem istam efficaciter exserere, quando Soli conjuncta sub hujus radiis delitescit, immenso intervallo pone ipsum remota, & hoc interim verticibus imminente nostris, ac dierum longissimorum æstu per aliquot menses continuato, è vicinia terram torrente? Quasi verò stultissimum non essemus judicaturi eum, qui ratione plane simili Aetnæ incendia in his nostris oris nunquam sentiens, tunc tamen, ubi vicina quædam domus inopinato incendio correpta ex eadem plaga meridionali ipsum adureret, Aetnæos etiam ignes multum cooperari, & caloris incrementa dare notabilia, sibi persuaderet. Hoc igitur potius omnino nobis cum doctissimo Robault (Tr. Phyl. p 473. & sequ.) persuademus, Astronomiæ peritos olim in usum vitæ civilis annotasse varios anni Solaris dies, quibus haec aut illæ stellæ fixæ ante orientem Solem, sub quo diu latuerant, primum iterum conspiciebantur, oriri inde heliacè dictæ, unâ cum aëris temperie ac tempestatibus eodem tempore ordinariè, sed ex influxu Solis ac Terræ cujusque conditione nativa, accidentibus; e. g. Orientibus Hyadibus aut Plejadibus in asterismo Tauri esse tempestatem in septentrionalibus hisce climatibus plerumq; pluviosâ, oriente Sirio maximum æstum &c. ab imperitioribus autem postea id quod signi vices gerebat, pro causa habitum, ac Hyades inde pluviosas & humidas, Caniculam calidam & sicciam, saltem efficienter, creditas fuisse: porrò verò, cum eadem tamen aëris temperies annis singulis, iisdem licet stellis heliacè orientibus, non esset, nec ortum Caniculæ caloris vehementia semper comitaretur, in promptu fuisse, errori tegendo ex observato Planetarum vagabundo motu remedium arcessere, ac eosdem quidem earundem fixarum effectus expectandos asserere, nisi Planetarum accessus aut recessus earum influxum turbaret & interverteret; atque ita Planetis superioribus etiam peculialem, imò præcipuam in haec sublunaria efficaciam assignatam, tandemq;, cum isti Planetarum mortis ad certas leges redacti in futurum etiam præsciri coepissent, Astrologiam divinatiam enatam esse.

IX. At enim, Eclipsibus faltem vel adspicere solo prodigiosis influxum in has Terras plerumq; malignum, non denegabimus? Est profe~~t~~o, fateor, in eorum oculis, & consequenter etiam animis, quibus insolite rei causa ignota est, efficacissima illa cœlestis apparentia, atque utinam eum haberent effectum in plerisq;, quem nobis præ cœteris piè ac prudenter commendat laudatissimus noster B. Dn. Trew, in Discursu de corrigenda Astrolog. germanico cap. II. Ut & mortalitatis eos ac umbræ mortis, post decursam vitæ periodum subeundæ, diei item novissimæ ac interituri totius universi, peccatorum denique suorum, quorum atra caligo divini vultus gratiam, uti Solis faciem gratiosissimam obscura Lunæ facies, nobis occultant, & similium efficaciter commonefacerent! At verò effectus eclipsium cœteros in rebus naturalibus ac civilibus in deterius commutandis, quos eisdem vulgo adscribunt, quoties apud animum nostrum recte rationis trutinâ expendimus, id primò mirari subit, cur Lunarium Solariumq; obscurationum influentias adeò parùm distinguant Astrologi, ut, utrum luminare patiatur parùm solliciti, ac de effectu eclipseos generatim infauito suâ opinione certi, in cœteros potius Planetas, eclipseos dominum in primis & in id genus vanitates alias circumspicte notandas omnem nervum intendant; cum Solares tamen & Lunares eclipses præter hoc nomen generale nihil ferè commune habeant, & hæ in reali quadam extinctione luminis mutuatitii, istæ in apparenti faltem ac imaginaria quadam lucis intaminatae obscuratione consistant. Deinde verò, cum ad utramq; eclipsium speciem seorsim advertimus animum, uti coeteras variationes in lumine lunari menstruas, in teneris faltem & afflictis ægrotantium corporibus aliquomodo sensibiles concessimus; ita hoc etiam casu omnem eclipsibus Lunaribus efficaciam non denegabimus: quandoquidem, in totalibus præsertim, in sequens copiosam luminis diffusionem inexpectatus ejusdem defectus, per unam sæpè alteramq; horam, facile mutationem aliquam in humoribus jam ante turbulentis ac iis corporibus caufari potest, quæ vel ab auræ cuiusvis adflatu sibi meguunt: et si non defint exempla nobis valetudiniorum & gravidarum partui imminentium, quibus eclipses Lunæ totales & cum magna mora, non solum sine noxa & sensibili corporis mutatione, sed

sed & cum singulāri animi voluptate, spectatæ sunt. Alia verò bene habentium corpora, aut reliquam naturam sublunarem, ut ex illa Lunæ passione pati multum nobis persuadeamus, nec experientia nos nec ratio ulla cogit. Quid enim, amabo, nocebit unâ vel alterâ etiam horâ Lunæ emendicato lumine carere, quo paulò antè fructi sumus pleno & copioso, ac fruituri paulò post nihilo minore; quando aliâs circa interlunia hebdomadibus sæpè integris illunes vivimus impunè noctes, iisq; ipsiæ quæ plenilunium proximè sequuntur, unâ & alterâ horâ lunari lumine prorsus destituimur? In Solaribus autem, etiam totalibus, vix unius momenti morula intercedit, cùm aliqua saltem Solis particula, ac subinde plures, evanescente sensim caligine, subtractum terris fulgorem & mox plenum solis vultum reddant; quem crassiores sæpè nubes per dies complures nobis eripiunt majori certè lucis ac radiorum dispendio, quam quod tam brevi temporis intervallo tantilla Terræ particula facere queat. Et vero si cœlestium influxūs eas maximè Teras deberent afficere, quarum verticibus magis imminent, uti saniores Astrologi rectè judicant, & eclipsium vim, si qua esset, tantò majorem esse oporteret, quanto ipsæ majores sunt & longiores mōras trahunt; necessum certè esset, eas Terræ regiones, quæ sub Torrida Zona locantur, omnium infelicissimas credere, & ab omni fructuum proventu steriles quam quæ maximè, imò (si justæ Dei indignationis ac impendentium poenarum signa potius quam causas malorum Phyticas faciamus cum aliquibus luminarium eclipses) ejus Zonæ incolas & nunc esse, & olim fuisse, & futuros esse in perpetuum omnium bipedum nequissimos oporteret, ac cœteros Terricos gradatim pios magis ac bonos, quò plus ab æquatore versus Terræ polos recedunt; cùm vix ullus annus exeat, quo non videant adustæ illæ, ac nihilominus auri non tantum & argenti, sed aromatum fructuumq; nobilissimorum feracissimæ Terræ, Solis aliquam Totalem eclipsin, qualem septentrionalium aliqui populi vix unquam, cœteri non nisi rarissimè conspiciunt; ut taceam easdem ipsorum plurimq; verticibus imminere, impendentium adeò malorum tantò certiores, si Diis placet, indices. Quid multis? Si Terræ Solis eclipses adeò infestæ sunt & infaustæ, de Lunæ corpore quid fieri, quod eo ipso momento, quo lumen ipsi ordinarium eripitur

tur ab interposita terra, insimul ecliptin Solis adspicit horrendam, ac plerunq; non totalem tantum, sed & cum maximâ plurium horarum mora; qualem equidem nec vidit unquam Tellus nostra, nec est visura, si naturæ sua constiterit integritas, ullo ævo seculo ve?

X. Restant nova cœli lumina comato vultu aut caudato corpore, magis opinione nostrâ, quam effectu, horrenda. Etenim, quod 1. nunquam impunè spectatum Cometen asseverat hominum superstitione credulitas, id verò falsum esse jamdudum demonstravit exemplis benè multis Job. Baptista Ricciolus Almag. Novi Lib. VIII. Sect. I. Cap. V. 2. Quod coeteros plerosq; omnes insigne quoddam malum in terris eodem aut sequentibus annis insecurum, ac in primis Principis aliquius mortem, congestis in contrarium exemplis probant, id quidem nondum vel verosimiliter ostendit, Cometas illorum infortuniorum vel causas vel signa extitisse; nisi ridiculè supponant rem anteriorem tempore, posterioris aut insequentis proximè causam esse vel indicium. Adeò magnus est Principum, morti & quæ ac homines coeteri & plerumq; ex causis naturalibus maturiori obnoxiorum numerus, ut impossibile ferè sit accendi in cœlis cometam, ac in Terris non extingui, vel eodem vel in sequentium proximè annorum uno, Principem; quemadmodum adeò frequentes sunt in dies & horas ferè aliquibi terrarum pluviaz, ut impossibile sit baculum statuere in angulo, ac vel eodem vel in sequente die, hebdomade, mense, non alicubi cadere pluvias. Et haberet fortassis 3. aliquam hæc superstitione speciem, nisi, quod subtilis etiam Scaliger urget, multi clarissimi viri suo fato fundati essent, multi eversi principatus, pessundatae familiæ illustrissimæ, sine ullo Cometæ indicio; Ut taceam 4. Principum mortem vix tanti posse vide ri, ut ei vel procurandæ vel indicandæ cœlitus novo portento opus sit. Quid? quod 5. haut facile terrarum uni malum ac infaustum quid accidere possit, quod aliis latum & exoptatum non eveniat; ita ut mala & bona promiscuè portendere Cometæ dicendi essent. Atq; hæc est summa eorum, quæ circa cœlestium influencias alibi, si Deus voluerit, prolixius expone mus, affectu certè nullo, commodo nullo (hæc enim nobis sententia jam carè fatis, nec unius lucelli jacturâ constat) sed solo

solo veritatis amore, superstitionis odio ac Divini numinis reverentia, inducti.

## C A P. III.

Quod

*Ad unum alterumq; circa superiora  
subnatum dubium respondet.*

I. **D**uo verò cum primis adhuc breviter expendenda nobis veniunt: Unum est Astrologiæ divinatoriæ firmamentum præcipuum, *Experientia seu Observatio*, quam tunc vel maximè urgent, cum rationibus convictos se persentiscunt: Eventum ipsum videlicet toties comprobasse decretorum veritatem. **E**nim verò, quam nulla sit & gratis prætexta hæc experientia, jam pridem docuit post *Picum Mirandulanum* aliosq; Viros Doctissimos, *Petrus Gassendus*, *Animadversi* in X. Lib. Diog. Laërt. p. m. 966. & seqq. Nos hæc paucula saltem hic monemus: 1. Ut ut experientiam subinde crepent Astrologi, nullam tamen eos unquam circa primaria artis capita afferre, nec ullam observationem ullibi extare (prout etiam haberi nullam posse in superioribus demonstravimus) quæ e.g. *Martem calidum* & *ficcum*, *Saturnum frigidum* &c. vel verosimiliter ostendisset; cum tamen his placius, tanquam angulari lapide, vanissimæ artis tota & indigesta moles suffulciatur: 2. Observations, quas habent circa adspectuum, eclipsium, novarum stellarum &c. efficaciam, hoc perpetuo niti omnes paralogismo, quem in superioribus non semel explosimus, quo videlicet iste hæc aut similia cœli phænomena pro causis aut signis statim venditant eorum effectuum, qui in Terris, citius aut serius, consequuntur; quasi verò plerorumq; contingentium in hoc orbe sublunari non manifestior possit & propior multò causa ex ipsis Terris peti quam ut opus sit eas ex immensis cœlorum intervallis accersere. Certè quod aëris mutationes attinet, Ventorum originem Soli quidem, ut causæ generali, Terris ipsis autem & corporibus terrestribus tanquam causis specialibus, & in hanc potius quam aliam plagam dirigentibus; ipsis autem ventis, prout ab erti occasu aut cœteris mundi partibus

ad-

adspiraverint , pluvias & nives , aut serenitatem , calidam aut frigidam aëris constitutionem &c. deberi , tanto pluribus observationibus per annos bene - multos habitis nobis constat , quanto rariū Calendariographorum prædictionibus eventus respondet , casu sc. aliquando & fortuitò , quod cum anilibus muliercularum fabulis commune habent . 3. Vafritiem etiam Astrologorum prædicentium , & consulentium ignorantiam & credulitatem , inter experientiaz illius fulcra præcipua numerandam esse ; dum illi scilicet , oblatā v. g. geniturā id maximē currant , ex præscripto magistrorum , ut sexum nati , familiam , regionem , mores & alia edoceantur , aut de futuris belli , pacis- ve conditionibus vaticinaturi prudentiores , quæ præcesserunt eventa considerant , quæ in præsens agitantur consilia , quoad fieri potest explicantur , & ex his ac similibus aliis futura utcunque æstimantes , & oraculorum instar obscurè & ambiguè proloquentes , cœlestem deinde aliquam constellationem vaticinio suo callidè prætexunt ; hi verò seu bonum seu malum ipsis Astrologus decreverit , minimam quamq; fortunæ seu gratiam seu injuriam eò revocant , & ( ut eleganter Gassendus ) nisi fortè satis fallantur ab istis , opem ferunt ipsi ut seipso fallant , prout Franciscum Monachum , Astrologum superiore seculo non obscurum , cùm ex occursu Medii Cœli ad Planetaz nescio cuius beneficum radium felicem sibi ac lucrosum diem spopondisset , ab amico calceis donatum , influentiæ manifestam virtutem valdè prædicasse refert . 4. Deniq; si habeant in numero exempla quædam , dubiæ magnam partem fidei , quæ , prædictionibus eventum respondisse comprobent ; in promptu esse multò plura , quæ vaticiniorum illorum vanitatem , non sine Astrologiaz infamia , ipsis prudentiorum oculis ingesserunt . Ut enim illud , quod de Eclipsi Solari ante hos 25. annos factum esse omnes novimus , pede sicco nunc prætereamus , memorabile est , quod apud Bodinum aliasq; legitur , ac male admodum habet Inrodact. Origanum : cùm sc. Astrologi , ac in primis Johannes Stöfferus , ex part. III. conjunctione magna omnium Planetarum æquinoctium vernum Anni 1624. in signo Χ aqueo antecefflura , diluvium penè universale prædixissent , quod metuentes plurimi per Italiam , Galliam , Hispaniam , Germaniamq; , ad montium editiora con fugerunt ; contigisse tamen , ut totus Februarius ( quem referan dis

4. de Rep. 2.  
Introduct.  
part. III.  
cap. 3. p. 48.

discorsi cataractis praestinârunt, quiq; aliâs raro abit impluvius) totus existeret serenissimus & siccissimus : quibus exemplis si-millima plura legere cui volupe erit, audeat Riccioli Almag. No-vi Lib. VII. Se&t. V. cap. X. num. VIII. ac risum cum amicis te-neat. Quod verò Gassendus ait, testari se posse, sàpius idem sibi contigisse quod Joanni Pico, qui observatis hyeme totâ aëris mutationibus, vix ex centum triginta diebus sex aut septem re-pererit, qui cum Astrologorù prædictionibus consentirent; ejus rei nos ipsos quoq; testes sistere bona fide possumus, qui non per hyemem unam, sed per ipsos hos novem annos continuos aëris tempestates in dies singulos sedulò adnotamus & cum Astrologiæ regulis Calendariorumq; vaticiniis, vel frequenti dis-sonantiâ suâ luspectis, conferimus. Quod si porrò de geneth-  
liacis prædictionibus examinare placeat experientiam Astrolo-gorum, quam toties ac tam audacter jactitant, egregium qui-dem ejus nobis exhibet specimen *Tycho Brabew*, dum & *Gau-ricum & Cardanum* eventa moresq; Lutheri ex ejus Genitura ex-  
pendentes, aptè satis utrumq;, narrat, hanc istis accommodâs-  
te, quantumvis alter 22. Octobris 1483. alter verò eundem  
mensis diem anni sequentis 1484. ille tamen horam à meridiæ  
decimam, hic primam, ipsi natalem supposuit, cùm ea tamen  
reverâ fuisset undecima à meridie q. 10. Novemb. 1483, Eberi  
Calendario teste. Et jam totum hoc artificium non putes esse me-  
rum ludibrium ? Non nugacissimum nugamentum ? Ita merito quis  
interroget cum Acutissimo Gassendo, qui similia nobis exem-  
pla complura refert, e g. Gaurici Prognosticon de Henrico II.  
Galliae rege, quem vieturum esse felicissimum annos LXX, de-  
ductis duobus mensibus prædixerat, Cardano quoque felicissi-  
mam ipsi senectam pollicito, cùm eum anno X L. ex oculari  
vulnere obiisse ex historiis constet : *Michaëlis Nostradami* judi-  
cium, propriâ ejus manu exaratum, supra Thema natalitium Viri  
Nobilis Antonii Suffredi, quod cum eventu ipso comparatum ita  
belle consonabat, ejus filio Job. Suffredo teste : Erit (ita prædi-  
xerat Nostradamus) barba promissa & semicripta ; At ille semper  
usus fuit rala. In media etate densæ rubigine affecti ; At donec  
vixit & ad obitum usq; obtinuit condidissimos. In Senecta ita  
curvatus &c. At in extrema etate fuit erectissimâ statura :  
*In XIX. anno, vel circiter, extrangâ successione dives,* At præter-

paternam consequitus nullam fuit: *A fratribus insidias patietur, & rursus, anno XXXVII, à fratribus uterini vulnerabitur; At neque fratres ullos habuit, neque pater illius plureis quam unam duxit uxores: Uxorem extra patriam ducet; at ex propria patria Salonensem sc. duxit: Anno XXVII, spuriū filium suscipiet; At hoc inauditum: Anno XXV, à nonnullis Preceptoribus Theologicā Doctrinā obruetur, ac iterum: In naturalibus ita quam quisq; alius, & denū in occulta Philosophia per Magiam versabitur; In Geometricis & Arithmeticis disciplinis tam assidue dabit operam quam eloquentiae, in quibus summo studio & prompta diligentia in liberalibus disciplinis summo amore prosequetur: At ille in his omnibus nullam specialem operam posuit; sed in excolenda Jurisprudentia totus fuit, de qua tamen Nostradamus nihil, ut neque de dignitate Senatoria, quam propterea fuit consequutus Aquis Sextiis ipso etatis anno XXV. Navigationem senex ita prosequetur, quam Musicam & Musicis instrumentis. At ipsi nihil tale fuit curæ, & neque senex neque juvenis unquam navigavit. Deniq; non pertransibit LXXV, etatis annum; at ille ne pertransit quidem LIV; de quo Nostradamus nihil. Possemus & nos in medium afferre exempla, & in primis unum cuiusdam amici recentissimum, cui nobile par Genethliacorum ausu temerario polliciti fuerant, alter seram in annos 70. & amplius senectam, alter omnium quos esset victurus annorum felicissimum eum ipsum, quo is præmaturā & miserā quidem cruentaq; morte perlit; sed ista propalare nec consultum nec opus est.*

II. Ad alterum potius istud veniendum, quod objicere prudentiores plerumq; solent. Si nullus est ( quem totus tamen mundus hactenus agnovit ) cœlestium etiam remotissimorum aut portentosarum aliquando apparentiarum in terras nostras influxus sensibilis, præter lumen illud parvulum, quo ferunt oculos nostros, nec illos quidem efficaciter nisi ē tenebris proficientes; ingentium igitur illorum ac ipsa tellure nostrâ majorum corporum nullus in mundo usus, nullum hominibus inde sperandum commodum erit aut incommodum? Si sequi hoc negaverimus, ac omnem statim ipsis derogare usum, qui unum derogat, inficiemur; ecquis igitur, inquiet, est ille alius, & quid prodest tandem Saturni pallorem aut ruborem Martis, Jovis Jubar ac Veneris gratiam cœlo reposuisse Divinam provi-

den-

dentiam? Id vero nos ignorare cum ignorantissimis si dicere-  
mus, nihil ab homine alienum, nihil etiam homine eruditio-  
indignum diceremus: quin arrogantissimum potius hominem  
imo conditionis humanæ ollitum eum rectius judicaremus, qui  
tantorum operum opificis infiniti, sapientissimi, potentissimi  
nutu & consilio existentium omnium finem, scopum & usum  
sibi perspectum temerè crederet. Edicite, ô mei, aut per con-  
tamini vestros Astrologos, quis usus sit, vel singularum vel et-  
iam universarum in Lunæ facie macularum, &, cùm Luna vi-  
deatur eâ fini facta terrisq; tam vicina, ut nocturnas harum te-  
nebras reflexo lumine diluat, cur non sine omni macula, & sic  
luminosior, parata sit: Aut, cùm in ejus aversa facie non minus  
quam in obversa nobis perpetua noctium dierumq; vicissitudo,  
perinde ac in terris, obtineat, quem usum ista globo nullis ani-  
mantum viventiumq; generibus habitato afferat, exponite:  
Aut, cùm eclipses Solis ingentes ac totalibus nostris multò ma-  
jores eidem corpori toties objiciantur, quoties in terris Lunæ  
rem attoniti contuemur (id quod Astronomiæ peritis indubi-  
um est ac infallibile) quid inde commodi aut incommodi sit ex-  
pectandum ipsi, explicate: aut indicate tandem, cùm Terra  
nostræ superior crux vel unius milliaris profunditate tot me-  
tallorum, mineralium, aliorumq; subterraneorū corporum ge-  
nera recondat, atque adeò reliquus mill. plusquam octingento-  
rum nucleus multò plura, ab ipsis etiam proculdubio multum  
diversa, contineat; indicate, inquam, quæ sint ista in terræ vi-  
sceribus intimis abscondita corpora, & quænam singulorum u-  
tilitas: Aut si, quæ ante pedes sunt aut verius sub pedibus ve-  
stris, eorum usum edocere non potestis, nec ideo frustrâ tamen  
factorum; nolite porrò nullius statim usus arguere ea quæ im-  
mensis intervallis remota vix externæ faciei confuso conspectu  
possunt innotescere! Quin generalem interim omnium, dum  
specialior singulorum in occulto latet, soli fortè Creatori no-  
tus, eumq; ingentem usum agnoscite; eum puta, quem afflatu  
divino percitus Psalmista nobis commendat in suo Cœli enar-  
rant gloriam DEI, & opera manuum ejus annunciat firmamentum;  
quem Sanctus Hiobus in mediis afflictionibus suis ingentem  
percepit, dum Arcturi & Orionis & Hyadum Sidera nominatim  
contemplatus, & ad interiora Austræ turbatam mentem conver-

**tens immensa DELL M facere opera concludit, & incomprehensibilia  
& mirabilia, quorum non sit numerus; indeq; porrò infert frustrà  
fore misellum homuncionem judicio contendere cum isto vo-  
lentem, qui sapiens corde est & robore, & sub quo curvantur ii quo-  
que qui portant orbem, i.e. potentissimi hujus seculi &c.**

III. Quid, quod gentiles etiam utilitatem ex attento cœlestium contituū expēctarunt adeo multam ac indubiam, ut in eum finem, cum prona spectent animalia cœtera terram, non aliud quippe quam terreni corporis pabulum exinde sperare nata, Os homini sublime DELL M dedisse, judicaverint, cœlumq; tueri jussisse & ad Sidera tollere vultus; ut mentem inde cœlesti pastu sustentaret & congenere natalibus ipsius nutrimento. Quām pulchrè Seneca Ep. 94. verbis ad Ovidiana ista quam proxime accendentibus, in cœlum, ait, erexitse Naturam vultus nostros & quicquid magnificum mirumq; fecerat, videri à sufficientibus voluisse! tanquam ea, quorum incomparabilis splendor & majestas immea tenebris mentis oculos, ad pervidendam Creatoris magnitudinem, magno nostro commodo, illuminet; cum ex adverso aurum quidem & argentum, quorum falsus oculos nostros decipiat fulgor, & propter ista nunquam pacem agens ferrum, quasi male nobis committerentur, absconderit &c. Èa mente eodemq; animi proposito, si nos Christiani ad cœlos & cœlestium illa corpora vultus oculosq; attolleremus; si ex immensa ipforum mole factoris infinitam magnitudinem; ex innumerabili operum immensorum multitudine, creatoris omnipotentiam; ex inæstimabili limitum mundanorum distantia Domini celitudinem & amplitudinem divini Dominii; è Planetary erabundo quali sed in errandi ratione constantissimo & in secula prænoscendo motu motoris immutabilitatem; ex ordine posituque, adspicu primo confusè sparsorum siderum, admirando ac decentissimo & quorundam mutuis operis ad oculum evidenteribus, Opificis inexhaustam Sapientiam; ex immutato universi vultu ac perdurante per tot secula, nec ullis naturæ viribus unquam dissolvenda corporum mundanorum singulorum integritate & universorum compage, Conservatoris æternitatem & incorruptibilitatem; verbo, ex innumeris operum adeo stupendorum proprietatis & affectionibus indies magis magisq; innotescentibus, attributa Virtutesq; Divini Numinis inenarrabiles, è regni hujus visibilis splendore

& magnificentia, Rectoris Majestatem ac invisibilia, cognosce-re, prædicare, devotissimâ & humillimâ mente colere magis magisq; allaboraremus; hæc demum homine, maximè Christi-anō, digna foret Astrologia! quo nomine indigna prorsus est *Astrolatria illa vulgaris, quæ quod opifici debetur, opificio superstitiosè tribuit, ac præscire prædicereq; futura contingentia (quod uni sibi Summus ac Verus D E U S tanquam ~~xerxes~~ infallibile, quo à falsis gentilium Diis agnoscî certissimè possit, toties in Sacris literis afferit) ridiculè & impudenter audet!*

- IV. Dudum equidem agnovimus, cum unius hominis men-ti evellere conceptam ante opinionem, haut raro aliis plerisq; improbatam, tanti laboris opus & maximi negotii sit, quam in-gens sele objiciat ac tantum non insuperabilis difficultas extir-paturis opinionem quasi epidemicam & ipsâ opinantium mul-titudine plausibilem: non desistemus tamen pro nostra virili in commune conferre, quæ ad eluendam hanc divinæ Mathe-los maculam facere ullo modo possunt; quando præsertim nec ante nos alios neque nos cum ipsis incastum omnino labo-rasse haec tenus experti sumus. Adeò lubrico enim, imò nullo prorsus, fundamento nititur hæc divinandi superstitionis teme-ritas, ut ii quoque qui fidem ipsi adhibere à teneris adluefacti sunt, ad allatas in contrarium rationes vel levissimas quasi ob-stupeant: id quod non semel experiri nobis eo casu datum est, quo pluviolam, e. g. aliamve aëris constitutionem, □ ♀ aut ♂ aut simili cuidam adspexit in Calendariis adnotato cùm tribuissent (ignari tamen in istis quotidianis uni Planetæ ad-scriptis Lunam semper subintelligi) nobis interim monentibus id genus adspicüs omnes singulis in orbe redire mensibus, nec unâ tamen redire eandem aëris temperiem, admirabundo quodam silentio argumenti *αράγη* confitebantur; ad dese-rrendam licet penitus vanam persuasionem, inveteratam quip-pe, nedum quidem satis dispositi: adeò sc. à teneris adluesce-re multum est!

V. At enimvero, si hi tales ad hanc aliasq; quas in Superio-ribus adduximus, rationes frequentius attenderent; si prætereà fidere suis oculis mallent quam traditionibus aliorum, & e. g. in his nostris regionibus copiosiorum & continuarū pluviarum cum vento occidentali connexionem ferè perpetuam obser-

varent, variantibus interim multum cœlestium corporum adspicibus; Si ad annum suum revocarent curatiū, quod ex annua navigantium in terras Africæ Asiacq; remotiores experientia *Vossius de Nili aliorumq; flum. orig.* cap IX. & seqq. *Varenius Geogr.* lib. II. cap. XXVI. aliiq; docent; in regionibus Zonæ Torridæ plerisq; omnibus, non ita vagas ac incertas, ut in nostris Climatibus, sed statas ac certas esse, & eisdem anni mensibus easdem quotannis aëris tempestates; cum alia tamen semper sit adspectuum ratio ac cœlestium remotiorum positio; Si cogitarent, eodem momento, quo nobis cadunt imbræ aut grandines, aut fulmina, alias non remotiores tantum sed viciniores quoque terræ partes omnimodâ gaudere serenitate, & cum obvia sit exceptio, cœlestia agere pro subjecti capacitate, ita ut idem Solis calor emolliat ceram & lutum iaduret, inde promptè inferrent quod inferendum omnino est; Observationes Chaldæorum, Ptolomæi & antiquorum universim omnes, quas subinde crepant, utpote alibi locorum habitas, suis accommodari regionibus nec posse nec debere: Si perpendereat, in hominum genituris æstimandis ab ipsis Astrologis ipsissimum nativitatis momentum & constellationum ad idem momentum supputationem exactissimam supponi (nōrunt enim unius minutæ morulâ intercedente stellas aliquas ex uno Thematis domicilio in aliud quod oppositæ prorsus aut diversissimæ saltæ significatiovis sit, transmigrare posse totamq; adeò prætagendi rationem immutare, &, nisi præcisè ac in puncto quali statuatur constellationum ratio, unam eandemq; ad plures eodem saltæ die natos Sortiq; diversissimæ obnoxios referri posse) quorum neutram tamen aut antiquioribus Astrologis perspectum esse potuit, aut modernis, excultiore licet Astronomiæ calculo fruentibus, unquam ianduit; affrant enim, si viri sunt, vel tria exempla Thematum natalitionum ex omnium seculorum, quam in ore semper habent, experientia, quibus utriusq; illius ratio exactè constituerit! Si scirent aut considerarent hujus seculi progressus Astronomicos; detectos in cœlo telescopiorum ope præter septem antiquos Planetas, totidem novos alios, fixas autem ignotas antè multò plures quam quas unquam infelicior antiquitas inermi oculo contuita & numero millenarium paulum excedente complexa

plexa est; in Solis facie obortas aliquando maculas & fulig-  
nosas quasi nubes vastitate suâ totius Europæ, Asiarum aut Africæ,  
amplitudinem adæquantes &c. quibus omnibus efficaciam &  
influendi virtutem multam tribuant oportet ii, qui cœteris tantum  
adscripterunt, obviam insimul sibi habituri promptissimam il-  
lationem; in accersendis coelitus effectuum sublunariorum causis  
non potuisse non frequentissime à vero aberrare eos, quibus  
maxima pars cœlestium corporum incognita fuit & abscondita:  
Hæc & similia multa, quæ nunc omittimus, si scirent isti, &  
adhibitâ in consilium ratione penitarent aut pensare pos-  
sent; longè aliter, scio, judicaturi essent de experientia ista  
& observatione, de qua ita subdolè gloriantur Astrologi, cu-  
jusq; specioso prætextu credula turba reliqua duci decipiq; so-  
let: quin obstupescerent nobiscum, in medio quoquè eorum  
coetu, quibus ex reliquorum Mathematum & Geometriæ cum  
primis infallibili evidentia veri demonstrandi ratio perspe-  
ctissima fuit, repertos tamen esse, qui nugis istis, ne superficia-  
riam quidem probabilitatem attendenti probantibus, operam  
suam locarent, authoritatemq; conciliarent. Quamvis hodiè  
vix ullibi reperiatur celebrior aliquis & isto nomine dignus  
Mathematicus, qui vanissimam artem non explodat; & eo-  
rum, quas modo memoravimus non pauci eam lucelli præsen-  
tis gratiâ potius quam ob futurorum notitiam coluisse videan-  
tur; prout Celeberrimus Keplerus, ejus alioquin industrius pro-  
motor, in præf. ad Tabb. & Rudolph. alibiq; Astronomiani matrem  
sapientissimam, sed pauperculam à stulta filia Astrologia, questu  
non ab omnibus èque probato, ali & sustentari,  
ingenuè confessus est.

## T A N T U M.

*Utr Suffocatorum corpora elapsis aliquot diebus supernatant, antea proprio pondere mer-  
sa? R. Quia facta sunt interim aquis in specie leviora.*

II.

*Quamvis credibile sit, eorum pondus interea temporis augmenti quipiam cepisse.*

III.

*Inter elementaria corpora nullum reperiri ab-  
solute leve, facile concedimus; sed gravitatem  
etiam absolutam istis omnibus ut denegemus,  
rationes à Viro quodam doctissimo pronuper  
allata nondum nobis persuadent.*


IV.

*Aliud enim arbitramur grave esse, aliud gravi-  
tate sua quavis obvia corpora equaliter af-  
ficere. Movent sc. eodem nisu ubiq<sub>z</sub> gravia,  
sed non promovent ubiq<sub>z</sub> equaliter.*

V.

*Si violentus aut nonnaturalis motus statim di-  
cendus est, qui fit ab extrinsecop principio; vio-  
lenter ascendere levia, ac nonnaturaliter de-  
scendere gravia, dicenda erunt.*







## EPIMETRA.

## I.

**C**ur Suffocatorum corpora elapsis aliquot diebus supernant, antea proprio pondere mersa? R. Quia facta sunt interim aquis in specie leviora. **II.**

**Q**uamvis credibile sit, eorum pondus interea temporis augmenti quipiam cepisse.

## III.

**I**nter elementaria corpora nullum reperiri absolutè leve, facile concedimus; sed gravitatem etiam absolutam istis omnibus ut denegemus, rationes à Viro quodam doctissimo pronuper allatæ nondum nobis persuadent.

## IV.

**A**liud enim arbitramur grave esse, aliud gravitate sua quævis obvia corpora equaliter afficere. Movent sc. eodem nisu ubiq<sub>z</sub> gravia, sed non promovent ubiq<sub>z</sub> equaliter.

## V.

**S**i violentus aut nonnaturalis motus statim dicendus est, qui fit ab extrinsecop principio; violenter ascendere levia, ac nonnaturaliter descendere gravia, dicenda erunt.